

appareret, quis eum ad rogum vocari credidisset? Sed enim pro-  
postero zelo correpti, mentiri, occidere, & quiduis denique sibi  
licere arbitrantur.

IV. Tandem hæc hostium veritatis natura est, quod plus ti-  
ment homines, quàm Deum: Magis etiam honorem apud ho-  
mines in terra, quam apud Deum in cælis quærunt. Ita Pharisei  
de Dei ira nihil solliciti, tantum populi rumorem, & seditionem  
timent. Ita Herodes suo regno in terris metuebat, nihil curans,  
an crudeli illo infanticidio Deum sibi iratum redderet, seq; cæ-  
lesti regno excluderet. Ita suis ventrib. & culinis Papistæ me-  
tuentes, omnia commouent, cū interim omnem piorum mar-  
tyrum sanguinem, contra ipsos in cælum clamantem, susq; de-  
que ferant. Et de omnibus impiis ait Propheta: quod expaue-  
scant pauore, vbi non opus est. Psal. 14.

Ne igitur offendamur, si eundem processum adhuc hodie  
contra nos seruari videamus. Non enim est seruus maior Domi-  
no suo: quin potius hoc operam demus, vt quicquid tandem  
hostes nostri contra conscientiam, sine fronte, & pudore aggre-  
diuntur, nos nihilominus recto pede incedamus, seruantes fi-  
dem, & conscientiam, ne à Satana vel minis nos terrēte, vel ho-  
norib. & opib. blandiente, & alliciente, eò impietatis abripiamur,  
vt eiusmodi decretis, quæ contra conscientiam, & verita-  
tem facta sint, assentiamur & ita in peccatum irremissibile præ-  
cipites ruamus, de quo *Matth. 12. 31. & Heb. 6. 4. 5. 6. & c.*

---

### CONCIO III. DE MARIA VNGENTE

*Christum, & Iuda indignante, Christumque vendente, ex textu  
Matth. 26. à v. 6. ad 17. Marc. 14. à v. 3. ad 12. Ioan.  
12. à v. 3. ad v. 9.*

**C**ontinet hic textus res gestas Bethaniæ, in domo Simonis  
leprosi, inter Christum, Mariam, Iudam, & reliquos disci-  
pulos, propter effusum vnguentum.

Integra historia ad tria mēbra reuocari potest. Nam

I. Nar-